

JOANNIS CLERICI EPISTOLA

De Editione Novi Testamenti MILLIANA, quæ Oxonii prodiit.

C. JUNIO OPTIMIANO

S. P. D.

JOANNES CLERICUS.



Stendi, mi OPTIMIANE, fatis copiosè, XIV. Volumine *Bibliotheca Selecta*, mē Prolegomena & editionem Novi Testamenti, quam curavit eruditus ac reverendus Oxoniensis Theologus *Joan. Millius*, magni facere; quamvis per omnia idem ubique ac ille minimè sentiam, & multa ejus labori addi posse existimem. Est fanè cur ei gratias habeamus, propter id quod præstitit; licèt in Reip. Litterariæ usum nihil non tentare debeamus, ut inventis quidpiam addamus, ampliòrque & dilucidior in dies fiat Sacrarum Litterarum cognitio.

Utilitatem Milliani operis iterum hïc ostendam, nonnullorum locorum examine, de quibus egi in *Arte Critica* Part. 3. Sect. 1. Cap. XIV, 15. & seqq. quæ comparabo cum iis quæ vir doctissimus de iis habet, ut liqueat quanti usûs sit ejus variarum lectionum collectio, & quid possit ei addi; quod pollicitus eram *Bibliotheca Selecta* Vol. XIV. Tum etiam subjiciam collationem locorum laudatorum ab *Optato* Milevitano, & *Methodio* Patarensi Episcopis, quorum pleraque prætermisit *Millius*; unde colligere licebit, post tantum & tam diuturnum laborem, à viro erudito posteris spicilegium etiamnum relictum. Tu vero, *Optimiane*, de omnibus, pro tuo acumine, tuoque candore, judicabis.

I. Matthæi Cap. III, 11. prædicit Joannes Baptista fore ut Christus post ipsum baptizaret *πνεύματι καὶ πυρί*. Duas postremas voces cum non intelligerent Librarii aut Critici, eas deleverunt in multis Codicibus; ex quibus viginti septem nominatim recenset *Millius*, præter Complutensem Editionem, *Theophylactum* & *Euthymium*, qui eas etiam vuculas prætermiserunt. Sed cum multi Codices habeant, multi Patres & antiquissimæ quæque Translationes, dubium non est, ut rectè vidit *Millius*, post *Grotium* & alios, quin recepta lectio optima sit. Quod eò facilius nobis persuadebimus, quod nulla fuerit ratio, cur hæ vuculæ adderentur, quippe quæ obscuræ sunt, & ad sententiam loci dilucidandam nihil faciunt: contra verò, propter has ipsas rationes, eliminari ut obscuræ & inutiles potuerint. Quæ ratiocinatio Critica multum ad discernenda adfumenta, à genuinis Scriptorum verbis, prodest.

Matth. XXIV, 36. Dies & hora judicii negantur sciri ab Angelis cælorum: sed quidam antiqui Codices addunt Angelis *filium*; quod & aliquot Patres legerunt, additum, ut videtur, ex Marci XIII, 32. Hæc rectè observat *Millius*, sed prætermisit locum *Ambrosii*, * in *Arte Critica* à nobis laudatum, eo insigniorem, quod hujusce additionis Arianos insinulat.

At rectè ostendit, cum *Grotio*, frustra in multis antiquis exemplaribus Cap. XVI. Marci à vs. 9. fuisse resectum, quòd id in concordiam cum Matthæo redigere nescirent. Mirum est non tantum Codices MSS. omnes, qui ad nos pervenerunt, sed & veteres Translationes hoc Caput habere, præter Patres, quos nomine appellat *Millius*; cum *Hieronymus*, in Epist. ad Hedibiam, dicat in *raris ferri Evangeliiis, omnibus Græciæ libris hoc capitulum in fine non habentibus*. Verum hïc, ut sæpe alibi, nimium *ἁρεσολογῶς* fortè loquitur *Hieronymus*.

Ad vers. 2. ejusdem Capitis, rectè notat ex *Grotio* vuculam *ἔτι*, præfixam nonnullis in Codicibus voci *ἀνατελειαντ*, interpretationis causâ esse additam. Sed & laciniam Codicis Vecheliani, post versum 8. quâ claudebatur Evangelium Marci, quasi adulterinam merito rejicit. Idem dixeris de alia lacinia Græcorum quorundam Codicum, cujus meminit *Hieronymus* Lib. II. in Pelagianos. At dignus erat locus ille *Hieronymi*, qui integer adduceretur, citato etiam opere, in quo legitur. Quæ in re perpetuò peccavit vir alioqui diligentissimus, qui passim *Hieronymum*, *Augustinum* aliòsque ad testimonium citat, nec addit quâ parte eorum Operum testimonia illa inveniantur. Quod tamen in re alicujus momenti additum semper oportuit, ut, si necesse esset, Lector ea testimonia, sine molestia invenire, & expendere posset; sæpe enim credere non licet testimoniorum citationibus, ut optimè in † antecedente Epistola Gallica ostendit vir doctissimus.

Luc. II, 33. ubi de Josepho & Maria sermo est, Josephus dicitur *πατὴρ* Christi, *πατὴρ αὐτῆς*, in Cantabrigiensi Codice, & in uno ex Stephanicis; quemadmodum in Vulgata & Versione Coptica. Dignus erat qui citaretur *Hieronymi* locus in Helvidium Tom. IV. p. 134. in Editione Benedicinarum, unde liquet *pater illius* fuisse in nonnullis Codicibus omissum.

Locus sequens est ejusdem Evangelistæ Cap. XIX, 41. Sed de eo jam egit vir eruditissimus in Epist. Gallica, quam edidimus.

Ad Cap. XXII, 43, 44. rectè atque ordine *Millius* observavit ex *Erasmo*, locum hunc à quibusdam olim erasum, quòd de Christo ea dicerentur, quæ eo indigna perperam judicabantur.

Ad Joan. VII, 8. ubi Christus in exemplaribus fermè omnibus, quæ supersunt, dicit se *nondum ascendere*, bene itidem observatum, ex *Grotio*, antiquam lectionem non esse *ἔγω nondum*, sed *ὁὐκ ἔτι*. Verum satius fuisset ipsum *Hieronymum* Lib. II. in Pelagianos citari, unde hæc habet *Grotius*.

De historia Adulteræ Joan. VIII, 3. & seqq. nihil dicam, præter ea quæ dixi ad *Hammondum*; quibus adhuc opponi tantum video conjecturas, de ratione quâ potuisset hæc historia ex antiquis Codicibus

**

* Intelligimus 2. Editionem Amstelodamensem anni 1702.

† Vide pag. 305. Tomi xv. *Biblioth. Select.*